

Auriacus Vindex: Iacobi Triglandii IV *de Insidiis*

Iacobus Triglandius IV fuit poeta ab Republica Fœderata Belgica (vulgo *the Dutch Republic*) oriundus, qui adulescentulus exeunte sæculo 17^o, ineunte 18^o, versus suos pangebat: maxime conspicua est opera eius inde ab anno 1696 (13 annos nati) usque ad annum 1706 (23). Postea, gradum doctoralem in re iuridica adeptus, et fungens officiis urbis administrandæ, videtur artem poeticam deposuisse: nam per vitam reliquam unum tantum carmen ab eo scriptum notum est.

Inter opera eius, primum cuius annus conscribendi satis compertus haberi potest, hoc titulo notatur: *Insidiæ publico et execrando parricidio Guilhelmo III, Angliæ Scotiæ, Galliæ et Hyberniæ Regi, Hollandiæ &c. Gubernatori Hæreditario, &c. Averruncante Deo Frustra Nuper Paratæ*, quod epyllion (“*De Insidiis*” pro compendio dicamus) narrat quomodo Guilhelmus Auriacus princeps factus sit Britaniarum rex, atque in eum insidias a Jacobi II regis depositi fautoribus paratas (quæ quidem ante carmen Augusto 1696 prolatum, paucis mensibus aversæ sunt). Sicut de carmine epico a puero 13 annos nato composito par est æstimare, *De Insidiis* scatet actis fortissimis, heroibus heroicissimis, necnon secelestis scelestissimis.

Gens Triglandia doctoribus theologicis Protestantibus insignis inde a poetæ proavo fuit, et pater ipsius, Iacobus Triglandius III, munere Theologiæ professoris in Academia Leydensi fungebatur. Haud mirum, igitur, Catholicos seditionem in regem Protestantem facientes animum Iacobi adulescentis vehementer commovisse; adde quod magnam causam apud se habuit cur Guilhelmo faveret, cuius pater inde ab adulescentia Principem Auriacum novisset, nam uterque tutelæ Cornelii Triglandii (Iacobi III patrui) commissus erat.

Cum pater fuisset professor spectatus, qui etiam in ætate nostra interdum citatur, filius Iacobus Triglandius IV haud bene notus est, itaque fontes secundariæ plerumque desunt, qua de causa hæc commentatio breviter vitam et opera eius tractabit. Argumentum principale vero ad carmen *Insidiarum* spectabit, atque rhetorices et polemici contra Catholicismum usum.